

immobilitatem atque immutabilitatē formę suę. Quo fit, ut alia duo speculationis genera coniecturā potius quā scientiam aliquis nominabit, Theologiam quidem propter eius nimiam obscuritatem & incomprehensibilitatem, Naturalem quidem propter continuum & incertum materię fluxum, propter quod neque speculari quis possit philosophos de ea concordēs esse futuros. Solam autem mathematicam signis attentis accedendo ad eam, certā & indelebilem scientiam studiosis suis generare confitebitur. Siquidem eius probationes per certissimam arithmeticę geometrięque scientiā fiant. Ob quas res nos etiam cōpulsī sumus quo ad fieri possit omnem quidem speculationem, sed eam præcipuē quę circa diuina cœlestiaque uersatur exercere, tanquam illa sola sit, quę circa ea quę semper & eodem modo se habeant consideret, & ideo possibilis sit primō quidem in sui ipsius comprehensione, cū nihil obscurum, nihil inordinatum ibi sit, semperque & eodem modo se habeat, quod proprium est scientiæ, deinde etiam ad aliarum intelligentiam non minus quā ipsimet cooperetur. Nam & ad theologiam scientiam hæc maximē nos ducit, cū sola possit recte considerare immobilem & inseparabilem substantiam ab earum uicinitate, quę sensibilibus quidem mouentibusque ac motis, æternis uerō & impassibilibus substantiis accidant, tum circa rationes, tum circa ordines motuum. Necnon etiam ad naturalem non modicum confert. Ferē enim tota materialis substantiæ proprietas, à proprietate localis cœlestium motus manifestatur. Corruptibile nanque & incorruptibile à recto & circulari motu, graue uerō & leue, aut

passiuū & actiuū, à motu ad medium, & à medio causatur. At qui ad morum actionumque decorem hæc præ cæteris alijs nos sollicitos effecit, cū à similitudine circa diuina ordinis cōmensuratione & modestia, quę in eis reperitur amatores huius decoris efficiat eos qui eam sequuntur, & consuetudine quadam quasi natura animum eorum ad similitudinem dispositionū impellat. Hunc igitur amorem ea scilicet speculantes, quę semper & similiter se habent cōtinuē, nos quoque augere conamur, tum ea discētes quę à nostris maioribus scire optimeque inuēta sunt, tum etiam ipsi innitentes tantum illis addere, quātum temporis inter eos & nos interuallū manifestare potuit, & ea quę putamus in presentiarum nobis manifestiora fuisse, conabimur quā paucioribus fieri potest, & ita ut illi qui qualitercunque hanc scientiam degustarunt sequi possint, literis mandare. Et ut continuitate perfectus sit, omnia quidem quę ad cœlestium speculationem utilia sunt, per ordinem exponemus. Ut autem sermo noster non fiat longior, ea quidem quę à maioribus nostris cōplete dicta sunt breuiter discurremus, quę autem uel nullo modo deprehensa fuerint, uel non sufficienter exposita, ea longiori exequemur sermone. ¶ Hanc igitur nostram propositam compositionem præcedit quædam uniuersalis ambitus totius terrę ad totum cœlum cōsideratio. ¶ Eorum uerō quę particularia & posteriora sunt, primū quidem erit reddere rationem circuli obliqui, & locorum nostrę habitationis, & de eorum quę ad inuicem secundum unumquemque horizontem propter inclinationem fit differentia. Eorum enim speculatio præcedens, considerationem